



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 7. Historica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

rentur: & pro poëmate habebatur historia ex ordine narrata verbis barbaris ac stylo humili nec a soluta dictione diverso, nisi quod numerorum necessitas expressiones minus genuinas quærere, ac voces inanes addere miserum authorem coegerit. Inspice Vitam Mathildis Comitis a Domnisonio scriptam! Haud negaverim, Guntherum in suo Ligurino, & Guilielmum Bretonium in Philippide sua efferri paulo altius, & sensa sua politius proferre: sed vix habent, quod non debeant phrasibus, quas e veteribus integras exscripsierunt. Obstricti tamen sumus his rudibus Poëtis, quod traditionem syllabarum longarum & brevium, ac latinorum versuum constructionem nobis conservaverint. Cæterum in operibus seriis illorum temporum nihil venustatis cernitur; & authores haud oblectabat pulchræ naturæ imitatio, quæ poëeos anima est.

Fictiones autem & fabulas multum amabant, infantibus similes, quos magis afficit admirabilitas, quam ve-

B 3 ritas.

VII.
Historia.

ritas. Hinc ne patriæ quidem historiæ studium in ipsis ullum. Quidquid videbant scriptum, recipiebant sine crisi, sine discrimine facto; nec ætatem, vel autoritatem scribentium examinabant, sed probabant omnia. Sic fabulam de Franco Hectoris filio, ac de Francorum e Trojanis origine amplexi sunt omnes historici nostri usque ad finem sæculi XVI: sic fuere, qui historiam Magnæ Britanniæ usque a Bruto, Scottiæ a Fergo, Hispamicam a Japheto, & alias ab aliis altissime repeterent. Quivis historicus aggrediebatur historiam universalem ab orbe condito ad suam usque ætatem, eoque congerebat sine delectu, quidquid in libris ad manum positis invenerat. Tales erant Vincentius Bellovacensis, & Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus, quorum historiæ pro ipsorum temporibus, tanquam prototypa, utiles sunt; quantum ad tempora priora pertinet, vix serviunt nisi ad perdiscendas fabulas de iis serio enarratas. Insuper memoratæ historiæ

storiæ universales fere solam Europam respiciunt, dimisso ex oculis Oriente a saeculi octavi initio, ubi Anastasius bibliothecæ præfectus annalibus suis finem imposuit.

Geographia non studiosius quam historia, cui tam conjuncta est, colebatur, cum in libris veterum duntaxat, ut si mundus a tempore Plinii ac Ptolemaei non mutasset faciem, disceretur, & in Palæstina totoque Oriente quærerentur loca Sacris in Litteris nominata, & inter alia tot abhinc saeculis eversa Babylon, cuius nomen modo Bagdetiæ, modo Cairo, novis urbibus dabatur. Unica soni convenientia faciebat, ut sine ratione diceretur Alephum pro Alepum, Caiphas pro Hiffa, & Corosania pro Corolania. Non confubantur regionis incolæ, ut constarent locorum vera nomina, certusque situs; & in terris quidem, ubi bellum gerebatur, quod accuratissimam non geographiam tantum sed etiam topographiam postulat. Comperimus utique, quoties interierint Cru-

B 4 cigero-

cigerorum exercitus, quod malorum viæ ducum fidei innixi, montes ac deserta, aliaque impervia loca adierint.

VIII.

Sunt forfitan, qui dicant, humaniores litteras ob librorum raritatem neglectas, & animos ad scientias meræ ratiocinationis conversos fuisse. Videamus igitur, quomodo tractata fit philosophia, & a logica ducamus initium! Non tunc hæc, ut olim cum institueretur, ars erat recte ratiocinandi, ac veritatem per certissimas indagandi vias: erat facultas disputandi, & subtilitates infinitas afferendi in medium. Qui eam docebant, non tam erudire discipulos suos, quam eis admirationi esse, atque adversarios captiosis implicare quæftionibus volebant, pene similes veteribus sophistis, in quos Plato tam belle ludit. Joannes Salisburiensis, qui saeculo XII vivebat, queritur, quod aliqui vitam suam insumerent in logicam, & tractatui de universalibus totam infererent, quæ breve tantummodo eorum præludium esse deberet; alii

cate-

*Euthyd.
Protag.*

*Metalog.
lib. 11. c. 7.*

*C. 16. III.
c. 1. 2.*